HUGO DE SANCTO VICTORE

Klosterneuburg 2. Hälfte 12. Jh. Seite 61r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=459

Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

mus. De isto singillatim [...] quaedam quae ad primam institutionem spectare videbuntur pertinere. his quae ad secundam institutionem pertinent sequenti narrationi reservatis. Habet namque hoc sacramentum duplicem institutionem. unam ante peccatum ad officium. aliam post peccatum ad remedium. et fortassis illam quae singulariter instituta est. singulariter tractari debet. ut postea fortassis illam quae cum ceteris in tempore coniungitur. a ceteris in narratione non separemus.

De institutione coniugii ante peccatum.

XIII. Sacramentum coniugii solum ex omnibus sacramentis quae ad remedium hominis instituta sunt ante peccatum hominis legitur institutum. non tamen propter peccatum. sed ad sacramentum tantum solum. et ad officium. Ad sacramentum propter eruditionem. ad officium propter exercitationem. Erant autem duo haec in coniugio ipso. et coniugium ipsum. et coniugii officium. et utrumque sacramentum erat. Coniugium constabat in consensu federis socialis. Officium coniugii constabat in copula carnis. Coniugium sacramentum fuit cuiusdam societatis spiritualis. quae per dilectionem erat inter deum et animam. In qua societate anima sponsa erat. et sponsus deus. Officium coniugii sacramentum fuit cuiusdam societatis quae futura erat per carnem assumptam inter Christum et ecclesiam. In qua societate Christus sponsus futurus erat. et sponsa ecclesia. Et qui sponsus erat utrobique superior erat. et ei dilectio per pietatem debebatur ad inferiorem. Quae autem sponsa erat utrobique inferior erat. quia sibi sufficiens non erat. et per se stare non poterat. et propterea ei dilectio necessitate magis competebat ad superiorem. Superior diligendo beneficium praestat. Inferior diligendo beneficium accepit. Huius ergo societatis quae utrimque dilectione mutua constabat sacramentum formatum est. quando coniugium institutum est. Alterius societatis sacramentum in coniugio. alterius societatis sacramentum in coniugii officio. Propterea natura humana duplici qualitate distincta est. ut in viro quidem robustior. in femina vero infirmior. et aliena ope egens appareret. et iuncti sunt duo in unum una dilectione. et societate una. ut in una dilectione essent. et per dilectionem unam in una societate manerent. et vir quidem ut esset imago dei in hoc sacramento. pietate ad dilectionem inclinaretur. femina vero ut formam animae rationalis exprimeret necessitate magis. et quasi respectu commoditatis cuiusdam amare persuaderetur. sic enim ut utrique voluntaria esset dilectio. quia si voluntaria non esset. nec vera dilectio. nec verae dilectionis sacramentum esse posset. Item ut aliud sacramentum in hac societate formaretur. praecepit deus ut masculus et femina in una carne iungerentur. ut sicut prius in sacramento coniugii per dilectionem unum erant. ita postmodum in officio coniugii unum fierent per unam carnis commixtionem. ut ostenderetur quia quemadmodum prius in sua divinitate per dilectionem iunctus erat animae. postmodum per assumptam carnem iunctus est ecclesiae suae. Item ne otiosa esset societas coniugalis inter masculum et feminam. propterea post sacramentum coniugii additum est officium. quod in commixtione carnis expleri debuerat. ut in eo coniuncti excrescerent per obedientiam ad virtutem. et fructificarent per prolis generationem. In quo officio masculus quidem qui superior